



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tora nevi'im u-ketuvim**

**Leusden, Johannes**

**Amstelodami, 1667**

Judicium Johannis Terentii Linguæ Sanctæ Professoris in Academia  
Franekerana Frisiorum, De novâ hâc Editione Bibliorum Hebraïcorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39406**

# Judicium Johannis Terentii

Linguae Sanctae Professoris

in Academia Franekerana Frisiorum,

De nova hac Editione Bibliorum Hebraicorum.

Lector benevole S.

**R**OGATUS novum hoc V.T. Hebraeorum librorum exemplar, quantum per temporis angustiam occupationesque licuit, non sine ingenti voluptate, oculo quamvis censorio, lustravi; miratus & indefessum laborem Viri Celeberrimi D. JOHANNIS LEUSDEN, Linguae Sanctae apud Ultrajectinos Professoris dignissimi, amici mei integerrimi, & insignem liberalitatem Viri praestantissimi JOSEPHI ATHIAE, Typographi Hebraei. Quorum ego petitionem ut aequissimam arbitratus, iteratam hanc Sacrorum Bibliorum Editionem cum variis vel correctissimis Danielis Bombergi, Regis aliiisque Christophori Plantini, nec non Roberti Stephani codicibus collata, deprehendiq; hanc, quae nunc prodit, Athiae editionem non inferiori per omnia praedictis aequalem, quin & multae me loca invenisse testor, in quibus haec, quoad punctorum accentuumque analogiam, caeteris omnibus palmam praeripit. Praeterea nec illud dissimulare possum, aliquot etiam loca in priori ATHIAE editione vitiosa, olim a me observata, in hac secunda sua cura satis feliciter emendata esse. Quare asserere non vereor praesens hoc, omnibus suis partibus absolutissimum, Sacrorum Librorum exemplar opus esse revera novum, quale haecenus orbis literatus non vidit; cujus sive commodissimam dispositionem, sive eximiam characterum punctorumque elegantiam ac denique correctissimam editionem consideremus, dictu difficile erit utri major debeat laus & gloria, Leusdenone cujus industria ductuque adornatum, an ATHIAE cujus sumptibus editum est.

Scripsi Franekeræ Frisiorum

d. 18. Maji. 1667.

Mr. JOHANNES TERENTIUS,  
Ling. Sanct. Professor.